Officium objective sumptum est ipsum justum ponendum.

Officium naturale est illud quod a lege naturali imponitur, ut amor in parentes.

Officium positivum illud est quod a lege positiva procedit, ut est obligatio sacro assistendi.

Religio. Virtus qua exhibetur Deo debitus honor.

Cultus internus. Actus interni intellectus et voluntatis quibus homo debitum honorem Deo exhibet, v. gr. actus adorationis, subjectionis etc.

Cultus externus. Exterior manifestatio religionis interioris per aliqua signa sensibilia, nimirum per actus quosdam corporis, v. g. cantus, oblationes, sacrificium, etc.

DOMINIUM est vox analoga, quae distingui solet in dominium *proprietatis* et *jurisdictionis*. Dominium jurisdictionis est potestas in homines; dominium vero proprietatis est jus in re se porrigens ad omnem rei usum et dispositionem ex arbitrio proprio, ceteris exclusis. Dominium est *plenum* seu *perfectum*, et *semiplenum* seu *imperfectum*, *directum* aut *utile*.

Proprietas subjective sumpta est dominium seu facultas disponendi pro libito, et cum exclusione aliorum, de re aliqua ejusque utilitate. Res vero ipsa de qua disponitur dicitur *proprietas* objective accepta.

Duellum. Privatum certamen inter duos privata causa susceptum.